



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 47. Dorcestriæ Marchio in Ferdinandum commotus, ac in Angliam redux.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



## §. XLVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.*Dorcestriæ Marchio in Ferdinandum  
commotus, ac in Angliam redux.*

Occupato hoc Regno Rex Catholicus *Raynald. l. c.*  
Dorcestriæ Marchioni Anglorum Bel- *n. 80.*  
liduci significabat, copias suas in Aquitani-  
am movere paratas esse, proin rogare se, ut nulla mora Albæ Ducem cum exercitu suo accederet; insuper speciatim hanc in rem Rex Legatum in Angliam misit, qui Henricum de toto rerum statu edoceret, ac cuncta in Anglorum commodum agi nuntiaret, eo fine, ut Marchionis querelas, quas forte apud Regem suum delaturus esset, mature præveniret. Verum hic Bellidux fracta demum patientia, ultra ambitiosis Ferdinandi consiliis inservire renuebat; cum enim aliunde tam annonæ penuria, quam morborum vis magnam exercitus sui partem depasceret, a Rege Catholico postulavit, ut ipsi necessarias pro reditu naves suppeditaret. Jamjam Anglorum copiarum navem conscendere parabant, cum Ferdinandi Legatus ex Anglia redux Dorcestriæ Marchioni speciale Henrici mandatum tradit, vi cujus ad amicum Regis Catholici jussa exequi præcipiebatur. Verum Anglorum copiarum accepto hoc nuncio, seditionem concitabant; unde ul-



**Sæcul. XVI.** terioris moræ, imperiique impatientes, **A.C. 1512.** conscensis navibus mense Novembri in Angliam revertebantur. Hanc ob rem Henricus primo quidem vehementer Bellduci indignabatur, verum totam rei feriem, ac expeditionis successum edoctus, se a Ferdinando delusum fuisse, haud obscure intelligebat, tandem persuasus, quod Rex Catholicus in fœderis pacto animum a proprio quæstu tantopere alienum haud alio ex consilio monstrasset, quam ut eo securius Anglos laqueis suis irretiret; indignationem tamen suam premere opportunum judicabat Henricus, ne Ferdinando pacem cum Gallis ineundi obtentum subministraret; atque exinde totam belli molem in se solum converteret.

## §. XLVIII.

*Exercitus a Ludovico XII. Navarram missus.*

**Marian. lib. 30. n. 52.** **Comperta** Joannis Albretensis infortunio mox Ludovicus Galliarum Rex eundem in Navarræ Regnum restituere, **§ 67.** animo constituit. Nec Consilio vires deerant; quippe eo tempore ingentem perditum numerum, atque inter Equites suos numerabat octingentos Lancearios, præter illos, quos ad tuendam regionem trans Ligerim relinquebat: accesserant etiam aliæ copiæ, quæ superatis Alpi-  
bus

**Petr. de Angleria epist. 496. § 499.**